

## **Virtutis Solidæ Præcipua Impedimenta, Subsidia, Et Incitamenta**

Commentationibus Illustrata, Omnium Usui Aptatis. Quæ Servire Insuper  
Poterunt Pro Argumento Concionum: Uti Et Considerationum Tempore  
Exercitiorum; præsertim verò pro gemino sacræ collectionis triduo; prout  
ex subjectis hunc in finem elenchis patet. [...] Partes Tres

Subsidia

**Bellecius, Aloysius**

**Ratisbonae [u.a.], 1755**

Cap. III. De collectione animi.

---

---

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55547](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-55547)

# CAPUT III.

## DE COLLECTIONE ANIMI.

**A**nimi collectio est assidua attentio ad præsentiam DEI, cuius nutrices sunt custodia cubiculi, cura silentii, & fuga occupationum nimis distrahen-  
tium. Quam necessarium ea acqui-  
rendæ virtutis solidæ quamque efficax  
subsidiū sit, præsens hoc caput do-  
cebit, cuius paragraphus I. mentis col-  
lectæ bona, II. mentis dissipatæ mala  
ob oculos ponet.

### §. I.

#### *Mentis collectæ bona.*

I. **A**nimi collectio nos liberat à plu-  
ribus DEI offensis & gravibus tædiis. Nam illa primariò consistit in vigili attentione ad præsens ubique Numen; hanc autem à variis lapsibus

Servat à variis de-  
fectibus & tadiis.

nos conservare, quis neget? viva enim fides hujus veritatis: DEUS corām adest; DEUS, qui acuet ut fulgur gladium suum; cūm arripuerit judicium manus illius: (a) is actionum mearum individuus testis ac omnium scientissimus arbiter est: is loquentem me audit, operantem videt, cogitantem considerat, ac sua immensitate totum quantum ambit, ac penetrat: is sua potentia me sustentat, scientia perspicit, sapientia gubernat, amore complectitur, nutrit, fovet; verbō: supremus ille cœli terræque Monarcha cum universo suo perfectionum comitatu mihi intimè præsens est: instar illius *virgæ vigilantis* (b) censorio oculo ad singula perpetuò attendit: cuncta auscultat; ac unà mecum, meo nutui obsequens, nihil non agit, perficitque; futurus omnium merces vel ultor. Profectò sola hæc cogitatio potens est ac efficax frænum, quemvis à quavis noxa constanter retrahendi.

Quis

---

(a) Deuter. 33. v. 41. (b) Jerem. 1. v. 11.

Quis enim peccator illud facinus,  
eujus ipsum coram homine puderet,  
in oculis infinitæ illius Sanctitudinis  
patrare auderet, si illam ponè excu-  
bantem firmius crederet? Ah! non est  
*DEUS in conspectu ejus, ingemiscit re-*  
*gius Vates; & hinc inquinatae sunt viæ*  
*illius in omni tempore.* (c)

Ex impia hac rusticaque Numinis  
oblivione emanat pestilens illa laxitas,  
morumque levitas, procacitasque:  
mordax illa linguæ protervia, sen-  
suumque libertas, aliaque sine nume-  
ro piacula, quibus conscientia identi-  
dem conspurcatur. *Dicit enim in-*  
*sipiens in corde suo: (d) quis me vi-*  
*det? quem vereor? nemo circumspicit*  
*me: delictorum meorum non memorabitur*  
*Altissimus: (e) nubes latibulum ejus,*  
*nec nostra considerat. (f) Et en! vah*  
*tristem effectum! expellit à se timorem*  
*DEI. (g) Hic fructus est ex hoc Ma-*  
*chiavelli pomario decerptus. Et in-*

H 3

terim

(c) Psal. 9. v. 26.

(d) Psal. 13. v. 1.

(e) Eccli. 23. v. 26.

(f) Job. 22. v. 14.

(g) Eccli. 23. v. 27.

118 Pars II. Cap. III. §. I. Num. I.  
terim miser non intelligit, quoniam omnia videt oculus illius, (h) qui malos male perdet. (i)

Contrà verò perennis memoria hujus dogmatis: *Dominus videt*; (l) & quidem ille Dominus, *in cuius femore scriptum est: Rex regum & Dominus dominantium.* (m) *In conspectu sto illius Judicis,* (n) qui de quovis verbo etiam otioso severam à me rationem exiget, & me quovis momento mittere in orcum potest; (o) hæc, inquam, consideratio est *clypeus salutis*, (p) cupidinis retundens tela: est *turris fortitudinis*, (q) propulsans asfultus stygis: est *civitas refugii*, (r) arcens insidias mundi.

Cùm enim divina insidens thronis Majestas merus sit oculus ac immensa auris, sola hujus veritatis recordatio temperat affectionum æstus: inhibet incau-

---

(h) Ibid. (i) Matth. 21. v. 41. (l) Gen. 22. v. 14. (m) Apoc. 19. v. 16. (n) 4. Reg. 3. v. 14. (o) Matth. 12. v. 36. (p) 2. Reg. 22. v. 36. (q) Psal. 60. v. 4. (r) Josue. 21. v. 39.

incautas manus: reprimit effrænem  
linguam, & moderarur procaces ni-  
ctus. Summà: non est tentatio, quam  
non superet: non cupiditas, quam non  
refrænet: non illicium, quod non  
retundat: non prolapsio, à qua non  
abstrahat. Ad hanc lucem (ut testatur  
S. Ephrem) fædissimæ passiones mox  
evanescunt, & diffugiunt instar latronum  
ex manibus lictorum. (s)

Et quidnî? si enim oculus heri animat dexteram laborantis servi: si præsentia Ducis accedit pectora exercitûs pugnantis: si aspectus principis ad reverentiam componit mores aulæ famulantis; immò si adventus juvenis Bernardini socios æquales modestos redidit; quid non efficient oculi Domini, qui multò lucidiores sunt super salēm; qui circumspiciunt omnes vias hominum, & eorum corda intuentur in absconditas partes? (t)

Ita est, ô divine, & æquissime morum Censor ! si Te nobis semper in-

H 4                      vigil-

(s) Tob. 2. Tract. de virtutibus c. 20. (t)  
Eccli. 23. v. 28.

vigilantem viva fide crederemus, etiam nos ad cujuslibet temptationis occursum mox cum Josepho exclamaremus: quomodo possum, ah! quomodo possum hoc malum facere (u) in conspectu oculorum ejus, (x) qui reddet unicuique secundum opera sua justus iudex? (y)

Certum proin est, assiduam præsentis DEI memoriam, adeoque & animi collectionem, utpote quæ in illa potissimum consistit, à pluribus nævis immunes nos securosque præstare. O quis ergo mihi dabit *alas* *zillius aquilæ magnæ*, ut volem in *deser-*  
*tum* (z) illud beatum! ubi solus ille mentis meæ incola sit, cuius *deliciae* sunt esse cum *filiis hominum*. (aa)

Præterea custodia cubiculi, cura silentii, fuga nunciorum, rumorum, & occupationum nimis dissipantium, quæ tres hujus virtutis nutrices sunt,  
libe-

---

(u) Gen. 39. v. 9. (x) Psal. 17. v. 25. (y)  
Apoc. 22. v. 12. (z) Apoc. 12. v. 14. (aa)  
Prov. 3. v. 31.

liberant animam ab innumeris tædiis, mœroribus, molestiis, & afflictionibus, quas horum neglectus & liberior cum aliis consuetudo gignere consuevit. Nam ubi mortales, ibi & vitia; ubi linguæ, ibi & verborum jacula; adeoque & mentium vulnera, quæ denuo ad se reducem mirè urunt, contristant, affligunt.

Ipse Venerabilis Thomas à Kempis,  
*quoties inter homines fuit, semper minor homo rediit.* (bb) Ipsa cœlestis sponsa non nisi plagis saucia, verberibus multata, pallioque exuta domum se recepit. (cc) Tu nec illo fortior, nec ista sanctior; quid ergo mirum, quod etiam tu in colloquia effusus loco solatii, quod aucuparis, non nisi fastidia invenias; & nil exinde nisi gravitatem conscientiae, & animi dispersionem reportes? (dd)

Si igitur tibi innocuus esse cupis,  
subtrahe te à superfluis locutionibus &

H 5

otiosis

---

(bb) Lib. de imit. Christi. l. 1. c. 20. (cc)  
Cant. s. v. 7. (dd) Lib. de imit. Christi, l. 1. c. 20.

otiosis circuitionibus, nec non à novitatis & rumoribus audiendis. (ee) Ama latere: intra conclave tuum, & exclude tumultum mundi. Sicut enim cella continuata dulcescit, sic male custodita tandem generat; ut propria tibi experientia constat. Negare enim non potes, ejusmodi consortia plerumque etiam tibi plurimi mœroris fœcundam matrem exstitisse.

Certè si cubili non exiisses, nec quicquam de rumoribus audiisses, melius in bona pace permanisses? Verum ex quo nova delectabat audire, oportuit te exinde etiam turbationem tolerare. Proin tuo damno sapere doctus, claude super te ostium tuum, & relinque vana vanis. (ff) Quid enim juvat nosse, quidnam rerum agatur in orbe, si nescias, quid intra te geratur in corde?

Denique ne te implices negotiis nimium multis aut alienis, vel minus necessariis. Noli omnibus omnia facere, nec sensu præpostero fieri. Se-  
cus

---

(ee) Idem ibidem. (ff) Idem ibidem.

cus irrequieto molestiarum euripo te improvidè immerges. Illorum verò munerum, quæ tibi peragenda ex officio incumbunt, dominus sis, non servus; iis te commoda, non dona; nec unquam permitte, ut te tibi eripiant; nec ita pro hominibus labora, ut DEI obliviscaris. Hac ratione curis superior, fastidiis liber, semper quietus, in tuo cubiculo pacis regnum invenies.

Age igitur, ô vase! animi penetrale quid semper fugis? usque circumforaneus & à te ipso extorris ut quid amas exilium mentis? tecum habita: te tibi redde: tibi vaca. In hoc mundi theatro proprius tu tibi sis spectator & actor. DEO vive; sat magnum is amphitheatrum est. Huic soli age, quod agis, eiique vitæ tuæ comœdiā ita exhibe, cœlestes ut plausus feras.

Sit ergo; deinceps à cunctis me dissipantibus nūgis elongabo fugiens, & manebo in solitudine. (gg) Sedebo solitarius, & tacebo. (hh) Providebo Domi-

*nūm*(gg) *Psal. 54. v. 8.*(hh) *Thren. 3. v. 28.*

*num in conspectu meo semper.* (ii) Nunquam non memor ero, ô vigil Moderator orbis! quoniam à dextris es mihi, in actiones meas omnes perpetuò intentus. Hunc in finem in intimo cordis mei cellam mihi mobilem construam, cui inclusus tædiis liber, sceleris purus, mundo mortuus Tibi soli vivam.

II.  
Est præsentissimum acquirendæ perfectio-  
nis reme-  
dium.

II. Insuper internus hic animæ receptus est præsentissimum acquirendæ brevi tempore sanctitatis remedium. Nam sanctimonia consistit in accuratectione functionum quotidianarum; eas enim bene peragendo facimus, quæ DEUS vult, & quomodo vult. Quid autem magis ad id præstandum nos habiles promptosque reddit quam animi collectio, consistens in amoris plena attentione ad præsentiam Supremi Judicis, à quo referet unusquisque, prout gessit sive bonum sive malum? (ll)

Sola hæc tessera: Dominus intuetur:  
(mm) testis est DEUS, qui præsens re-  
spicit,

---

(ii) Psal. 15. v. 8. (ll) 2. Cor. §. v. 10.  
(mm) 1. Reg. 16. v. 7.

*spicit: (nn) superna vi, nescio, qua  
mira prorsus ac potenti languorem  
excudit, fervorem accedit, intentio-  
nem elevat, defectus arcet, & actiones  
nostras etiam tenues ac indiferentes  
Superis summè acceptas; nobis verò  
meritorias efficit. Proin est effica-  
cissimum adipiscendæ sanctitudinis re-  
medium; quin teste Seraphico Do-  
ctore omnino necessarium est; ita  
enim pronunciat: *super omnia spiritua-  
lis exercitii studia hoc magis necessarium  
credo, & quod nos ad altiorem gradum  
perducere possit. (oo)**

Imò, ut asseverant Ascetæ, sine hoc  
subsidio de ea consequenda penitus de-  
sperandum est. Cùm enim ex sen-  
tentia S. S. P. P. domestica cordis ere-  
mus mater sit & nutrix virtutum, nul-  
la sine ea in perfecto gradu unquam  
obtinebitur, nulla conservabitur. Ne-  
mo hac destitutus, ad perfectionem  
haec tenus pervenit, nemo perveniet.  
Quo quis verò illius studiosior, eò  
majo-

---

(nn) Gen. 31. v. 50. (oo) In prolog. med.  
vitæ Christi.

maiores progressus faciet; ut constans experientia docet; cui ipsa quoque ratio suffragatur.

Nam intellectus nisi cœlesti lumine illustretur, & voluntas nisi cœlitus excitetur, divinisque motionibus impellatur, in via probitatis nec passum promovebit. Id docet fides. (pp) Jam verò solūm habitans secum anima, quæ *in conspectu DEI tanquam mare vitreum simile crystallo* (qq) tranquilla quiescit, recipiendis ejusmodi gratiis idonea est. Ergo etiam sola hæc religiosi profectus capax est.

Dissipata enim & exulans à se mens, cùm tumultuans oceanus, bonarum illustrationum charybdis, Numinisque voci obstrepens scylla sit, immisios cœli radios nec cœca videbit, nec afflatus surda percipiet, nec motus præfracta admittet; summa proin remedia cassa disperdet. Cúmque in salutis semita non progredi sit regredi, non

---

(pp) Conc. Arans. II. can. 7. Triad. sess. 6.  
can. 3, (qq) Apoc. 4. v. 6.

non solum nullas in pietate progressiones faciet, sed potius præcipiti casu miserè ad ima ruet.

Contrà verò animus interioris secessus amans in virtutis stadio non tam curret, quām volabit; plūsque proficer uno die, quām dissoluta centum annis. Exemplo nobis sit Sulamitis illa, Salomonis epithalamio celebrata, quæ initio *nigra*, *parva*, & ita debilis erat, ut *languens fulciri floribus, stipari malis* debuerit. At verò vix eam introduxit Rex in cellaria sua, (rr) id est, vix eam ob sui collectiōnem ad familiarem secum consuetudinem admiserat; cùm mox effecta est *fortis ut mors, alta ut turris, florida ut Carmelus, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.* (ss) En! quām præsens acquirendæ perfectionis ac potens adjumentum sit avulsio nostri à rebus externis & abdita secum habitatio.

Ec

---

(rr) Cant. 1. v. 3. (ss) Cant. 6. v. 9.

Et certè qui continuò versatur cum infinita Potentia, Sapientia ac Sanctitate, necessariò debet obtainere vires, ut possit: lumen, ut sciat: ardorem, ut velit eluctari ad sanctimoniac culmen; nec poterunt non fugari à nobis, expelliique primariæ tres causæ nostri temporis ac spiritus inopiæ, scilicet impotentia, ignorantia & negligentia. Hinc etiam cœlestis Sponsus per Oseam disertè enunciat, dilectam animam non alibi quàm in hoc deserto scientiam Sanctorum à se edocendam esse: *ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor ejus.* (tt)

O immense DEUS! qui excelsior cœlo, profundior inferno, longior terra, & latior mari es; (u) sónat vox tua in auribus meis, (xx) qua mihi inclamas: *ambula coram me, & esto perfetus.* (yy) Sed quia oblitus sum tui, (zz) defecit spiritus meus, (aaa) & dereliquit me virtus mea. (bbb) Hinc jure

---

(tt) Osee. 2. v. 14.	(uu) Job. 11. v. 8. &c 9.
{ xx } Cant. 2. v. 14.	{ yy } Gen. 17. v. 1.
{ zz } Deut. 32. v. 18.	{ aaa } Psal. 76. v. 4.
{ bbb } Psal. 37. v. 11.	

jure timeo, ne etiam me attonet illud  
tonitru: effusus es sicut aqua, non cre-  
scas. (ccc) Id ergo ne fiat, posthac  
*in tuo conspectu ambulabo omnibus diebus*  
*vitæ meæ,* (ddd) ut sic ascensiones in  
corde meo disponam, eamque de virtute  
*in virtutem.* (eee)

III. Præterea vigilans hæc sui custo-  
dia est ille paradisi fons seu *flavius*, <sup>Nec non</sup>  
*egrediens de loco voluptatis,* (fff) unde <sup>scaturigo</sup>  
innumera eaque eximia in animam <sup>excellen-</sup>  
profluunt bona, scilicet 1. incompre-  
hensa quædam conjunctio, familiaritas  
& communicatio cum D E O, cuius  
delicias & pretium nemo nisi exper-  
tus novit. Nam teste Thoma à Kem-  
pis *frequens illi visitatio est cum homine*  
*interno, dulcis sermocinatio, grata con-*  
*solatio, multa pax, familiaritas stupen-*  
*da nimis.* (ggg)

2. Testimonium quoddam tacitum  
Spiritûs Sancti & vox interior, talem

Pars II.

I

firma

---

(ccc) Gen. 49. v. 4. (ddd) Gen. 24. v. 40.  
(eee) Psal. 83. v. 7. & 8. (fff) Gen. 2. v. 6.  
& 10. (ggg) De imit. Christi. I. 2. c. 1.

firma spe consolans de obtenta peccatorum venia , de benevolo Numinis erga se amore statuque gratiae ac amicitiae divinæ ; quod dulce vadimonium aurea quædam quies , inexplicabile solatium ac angelicum cordis jubilum individuo nexu consequitur.

3. Exinde quoque oritur stupenda quædam facilitas , generosa promptitudo & alacritas in exercitio virtutum , præcipue in voluntario corporis cruciatu , cuius rigorem suavi balsamo lenit : nec non nobilis quædam proclivitas & propensa inclinatio ad supera , quorum obvia recordatio ejusmodi pectora mox sursum abripit , ac eorum deinde amore inflammat . Inde pariter scaturit maxima teneritudo conscientiae , qua vel umbram piaculi fugiunt : heroica fortitudo in adversis , qua nil timent : indifferens ad omnia æquilibrium , vi cuius nil ambiunt , nil horrent : immissa cœlitus nausea , qua cœlestium avidi res omnes terrenas mirè fastidunt , & aversantur .

4. Hæc collectæ mentis charismata comitantur superni instinctus innumeri, illustrationes continuæ, æternarumque veritatum cognitiones sublimissimæ, clarissimæ: unà cum magisterio quodam perpetuo Spiritus Sancti, quo is tali homini dubia declarat, abscondita revelat, facienda docet, vitanda indicat, & veluti prolem gerulo sinu provida mater fovet, ac protegit.

O beata solitudo! verè *infinitus* es  
*thesaurus hominibus*; (hhh) *doctrrix*  
*enim es discipline DEI.* (iii) En! ama-  
tor factus sum formæ tuae; proposui ergo  
te adducere mihi ad convivendum, &  
sponsam mihi assumere, (III) nullo post-  
hac divertio separandam, nullo tu-  
multu fugandam, sciens, quoniam me-  
cum communicabis de bonis, quæ te comi-  
tantur; (mmm) nec priùs quiescam,  
donec introducam te in domum & in cu-  
biculum mentis meæ. (nnn) *Spiritus*  
*enim tuus super mel dulcis;* (ooo)  
I 2 hinc

---

(hhh) Sap. 7. v. 14. (iii) Sap. 8. v. 4.  
(III) Sap. 8. v. 2. 3. & 9. (mmm) Sap. 8. v. 9.  
(nnn) Cant. 3. v. 4. (ooo) Eccli. 24. v. 27.

132 Pars II. Cap. III. §. I. Num. IV.

hinc jure *innocentes & recti adhæserunt*  
*tibi.* (ppp)

IV.  
Denique  
*cælum*  
*terrestre.*

IV. Tandem abdita intra cordis pe-  
netralia, sibique invigilans anima cœ-  
licolarum est æmula; quod enim illæ  
agunt in cœlis, idem hæc suo modo  
præstat in terris, prodigo eò majori  
quò rariori. Nam instar Electorum  
Sacrosanctam Triadem sibi præsentem  
semper intuetur, super omnia æstimat,  
& diligit; intellectu & voluntate, co-  
gnitione & amore geminis veluti bra-  
chiis eandem continuò amplectitur,  
sibiisque in vinculis charitatis (qqq)  
quam arctissimè unit. Illa dilecta,  
dilectus ei est omnia in omnibus.  
Eius tessera est: *DEUS & ego*, quasi  
præter eos in orbe degeret nemo.

Tranquillitas, amor, solatia, fer-  
vor, gaudium, & plena fiduciæ secu-  
ritas pars calicis ejus. (rrr) Sicut bea-  
ti in cœlesti regia, ita & hæc, no-  
stras etiamnum usurpans auras, anti-  
cipata

---

(ppp) Psal. 24. v. 21. (qqq) Osee 11. v. 4  
(rrr) Psal. 10. v. 7.

cipata felicitate perfusa , & torrente voluptatis potata , deliciarum oceano felix innatat. Omnia pertæsa , sui oblita , soli DEO immersa , non nisi hunc in creatis , nec has aliter quam in Creatore considerat ; & à terrenis abstracta , in summa solitudine tamen fructibus perfectissimæ societatis cum Amato beatissima gaudet.

Denique sicut Angeli ab Altissimo in has regiones missi , suam secum beatitatem inde deferunt ; ita & ejusmodi anima , licet negotiis occupata , suum tamen versatile cœlum semper secum circumfert , Divinam Majestatem contemplari , & amare nunquam desinit , & in adimplenda ejus voluntate tanquam in votorum meta suavissime conquiescit.

Insuper Cœlitum more omnis metus ac terroris expers vivit , probè sciens , quia oculi Domini super justos : (sss) & quoniam adiutor & protector noster est. (ttt) Hinc etiam ipsa cum

regio Vate generosa exclamat: *si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala; quoniam tu mecum es.* (uuu) Si emersus ex inferis orcus conjurata rabie in me irrueret, fixum est: *non timebo.* Sola hæc cogitatio: *quoniam tu mecum es, victrix mihi parma erit.* Etiamsi cum Jona in mare, cum Daniele in lacum, cum Josepho in cisternam aut carcerem mitterer, dixi: *non timebo; quoniam tu descendes mecum in foveam, & nec in vinculis me derelinques.* (xxx) Ex quibus patet, collectam mentem esse quasi cælum, cum serenum est. (yyy)

Age jam, ad hæc quis tibi sensus? An tantæ beatitudinis nulla te cupido tangit? Solitaria hæc cum Superis consuetudo est antidotum, quo fugantur piacula, & arcentur tædia: est focus, quo colliguntur lumina: est centrum, quo confluunt instinctus: est canalis, per quem influunt gratiæ: est pulvinar, cui incubat Christus: est mater sancti-

---

(uuu) Psal. 22. v. 4. (xxx) Sap. 10. v. 13.  
& 14. (yyy) Exod. 24, v. 10.

sanctitatis , nutrix internæ pacis, paradi-  
sus gaudiorum, quæ exuperant omnem  
sensem. (zzz)

Tantæ felicitatis ut particeps fias ,  
haud opus est, ut ad astra evoles, aut  
per æquora nавiges , aut terræ viscera  
scruteris. Solùm cum Arsenio fuge,  
late , tace : tecum habita : semper de  
DEO cogita , & mens tua cœlum cum  
angelis fiet. (A) Hæc audis, & etiam-  
num fluctuas , ac dubius , quid sta-  
tuas, hæres? Ah stulte! ergóne plenum  
tædio exilium præ ipsa æternæ pro-  
droma pacis patria eliges ? Quid agas,  
attentiùs, quæso, perpende.

En ! anima , DEO sibique intenta ,  
est sponsa illa, quæ stupentibus ange-  
lis ascendit per desertum collecti cordis ,  
deliciis affluens, innixa supra dilectum ,  
sicut virgula fumi , (B) suis desideriis  
sidera constanter ac rectâ petens ; &  
sequi tu horreas ? est concha , cœle-  
stem excipiens rorem ; est regnum

I 4

quie-

---

(zzz) Phil. 4. v. 7. (A) S. Nilus. (B)  
Cant. 3. v. 6. & 8. v. 5.

quietis, omni bonorum genere dives: est paradiſus quidam terrestris, omnibus deliciis abundans; & huic tu tumultuosum mundi forum vallemque misericordiarum præhabeas? O quam alia sub mortem (sed sero nimis) quamque diversa de hac virtute fovebis sensa?

O margaritam inæstimabilem in solitaria cordis eremo latentem! Tu es floridus ille Divini Sponsi lectulus, in quo latus quiescit: tu eburneus æterni Salomonis thronus, ubi solus regnat: tu *hortus conclusus*, (C) monstra vitiorum arcens: *fons signatus*, (D) puritate crystallum vincens. Charitas te generat, fortitudo sustentat, modestia comitatur, & pretiosa omnium virtutum gemmæ irradiant; tecum sunt divitiae & gloria; (E) qui te invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino. (F)

O quam prudens est, qui omnia dat, & nihil non agit, ut abscondito in

---

(C) Cant. 4. v. 12. (D) Ibidem. (E)  
Prov. 8. v. 18. (F) Prov. 8. v. 35.

in te thesauro potiatur ; quām demens  
verò , qui tanti boni incuriosus vivit !  
Quām insanus igitur fui ego , dum  
*factus quasi columba seducta , non habens*  
*cor , illud à me avolare , ac liberè per*  
*res creatas extra me vagare permisi ?*  
Sed modò *conversus , decies tantum*  
*requirram D E U M , quām erravi ab*  
*eo.* (G)

Tu , qui semper *in omnibus nobis*  
*es Domine ,* (H) ne permittas , ut post-  
hac in animo meo præsens , velut in  
orco degas , ubi non nisi turpia vi-  
deas , stulta audias , iniqua sentias ;  
potiùs eum virtutibus & gratiis ita  
exorna , ut S. S. Trias secundūm  
Christi promissum *ad eum venire , &*  
*mansionem apud eum facere non dedigne-*  
tur. (I)

---

(G) Baruch. 4. v. 28. (H) Jerem. 14. v. 9.  
(I) Joan. 14. v. 23.



## §. II.

## Mentis dissipatæ mala.

II.  
*Abiectio  
ex sinu  
specialis  
Providen-  
tia DEI.*

I. **H**æc in fasciculum collecta ipse Christus per Joannem sic describit: *si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescat, & collectum in ignem mittent, & ardet.*  
 (a) Quibus verbis quatuor dissipata mentis mala distinguuntur, ac tristis calamo depicta, nobis vitanda propounduntur.

Primum est critica nostrâ abjectio ex paterno sinu specialis Providentiaz DEI, consequente eam grandi impotentia redeundi ad cor. *mittetur foras.* Sicut enim palmes à vite resestus, à vinitore extra maceriam neglectus abjicitur, abjectus à transeuntibus temerè proteritur, protritus in lutum calcibus extruditur, adempta omni spe reineandi in vineam; ita quoque anima, quæ solitudinis pertensa, liberiùs se in externa effundit, à cœlesti Patrefamilias pariter extra gremium

(a) Joan. 15. v. 6,

mium suæ peculiaris Providentiæ cum  
nausea ejicitur, suis hostibus calcanda,  
vexandaque permittitur, & defectuum  
cœno altè immersa, affigitur gravi  
impotentia, id est, difficultate maxi-  
ma redeundi ad cor, seque denuo  
colligendi. *mittetur foras.* O Su-  
ri! tantum quis malum non paveat?  
Sed singula expendamus.

Inprimis dissipata mens indignam  
se reddit provido illo cœli oculo ac  
illa singulari tutela, quæ eam hactenus  
instar muri tutabatur. Nec mirum;  
nam raro sibi, rarius D E O præsens,  
ad illustrationes cæca, surda ad in-  
stinctus, gratiis usque rebellis, sensim  
tota terrestris ac bruta efficitur. Non  
cogitat nisi vana, non sapit nisi ter-  
rena, non vult nisi sensibus grata.

Eius memoria est via regia seu fo-  
rum publicum, per quod omnigenis  
cognitionibus & phantasiis liber tran-  
sus datur. Ejus intellectus est do-  
mus pervia, omni janua & fenestra  
destituta, ad quam cunctis tentatio-  
nibus

nibus patulus semper accessus , quin & ingressus patet. Ejus voluntas est pila , quam tumultuantes animi motiones pro libitu in gyrum agunt.

Quis ergo miretur ab ejusmodi anima tandem amantissima Divini Patris viscera ad amaritudinem adduci? (b) itaque irritari , ut subtracta illa , qua ejus saluti singulariter invigilabat, cura à suo illo speciali complexu ejectam, sibi relinquat , sinaturque eam ambulare per vias difficiles , (c) post vestigia gregum , (d) juxta proprias concupiscentias , (e) à quibus molestiarum spinis injecta , nævorum fordibus inquinata , orci insidiis undique exposita , demum in propinqua gravioris lapsus pericula inducatur. O sidera ! ad hanc pœnam cui ambae aures non tinniant ? (f)

Agnoscit quidem infelix per lucida subinde intervalla suam calamitatem

ac

---

(b) Job. 27. v. 2. (c) Sap. 5. v. 3. (d)  
Cant. 1. v. 8. (e) 2. Petr. 3. v. 3. (f) 4.  
Reg. 21. v. 12.

ac lubricum conscientiae statum; eundem quoque deplorat, indeque emergere insuper cupit. In via illecebrarum lassata, à rebus creatis fastidio habita, tædiisque affecta, pristinæ sortis memor ac præsenti miseriæ ingemiscens, seipsam sibi reddere, & ad dulcem animi eremum se recipere optat, quin etiam tentat.

Verùm, cùm id sine potentiori auxilio fieri nequeat, idque vindex Numen ultrici severitate negare, vel saltem differre plerumque soleat; durum quidem, justum tamen proprii cordis exilium patitur. *mittetur foras.* Ubi errabunda, & instar filii prodigi in regione longinqua procul à seipsa peregrinans, siliquarum jam satur oculos quidem reflectit, ac avida illius manæ, qua beatum illud Spiritus desertum abundat, illuc referre gradum desiderat; sed viam veribus obseptam inveniens, sequè efficaciori adjumento nudatam gemens, fugata à mundo, à DEO repulsa, verè sacrum inter & sanguinem, redditum desperans, hæret.

Men-

Mentis templum cum Jeremias per foramen inspiciens, stabulantem ibi abominationem desolationis (g) conspicit. Memoriam vanissimis fœdissimisque ideis, intellectum temerariis erroneisque judiciis, voluntatem perversis noxiisque appetitionibus contaminatam, ac velut totidem turpibus bestiolis conspurcatam cernit. Hinc pedem intro inferre horret.

Sicque misera à consenescente sensim, & in naturam degenerante evagandi consuetudine irretita, extra se ipsam DEI suique oblita circumerrando, tota rebus externis ad mortem usque distracta, immersaque vivit, nec prius quam vitam, coævum sibi morrem ponit. En! quam perniciofa pestis hæc animi evagatio sit.

Enimvero queis ista tanti mali horrorem non incutiunt, hi timeant, ne tempore, quo fuerint dissipati, pereant (h) & ne, dum dissipantur cogitationes eorum

---

(g) Marc, 13, v, 14. (h) Job, 6. v. 17.

eorum per mundum, (i) etiam dissidentur ossa eorum secus infernum, (l) exponendo se discrimini lethalis noxæ. Ah! sentio, quia malum & amarum est, reliquissime me te Dominum DEUM meum. (m) Sed ô Pastor bone! fugientem à te oviculam & per avia & invia deviantem, sponte si nolit, immisis adversitatibus invitam retrahere, ut sibi redditia, deinceps tibi soli collecta vivat.

II. Secundum, ex hac sui effusione proveniens, nocumentum est ariditas mentis, conjuncta cum ingenti nau- sea rerum piarum. *arescit.* Sicut enim palmes à vite resectus arescit, pari fato etiam anima, à mystica vitæ (Christo) per dissipationem avulsa, arescit tota. Ad tenerima fidei mysteria, inter delicias Eucharisticas, in ipso matutinæ meditationis rore perstac pumice siccior. Eam nec cœlum magnopere allicit, nec tartara multo-  
pere

*Intima de-  
pascens  
ariditas  
mentis.*

(i) Proverb. 15. v. 22. (l) Psal. 140. v. 7.

(m) Jerem. 2. v. 19.

pere terrent, nec DEI tribunal multum angit.

Æternas veritates, movendis alias cordibus etiam saxeis aptas, meditatur, & legit sine sensu & motu: tota stupida ad res cœlestes, solùm cerea ad terrena. Intellectum non nisi spissæ obscurant tenebræ: in voluntate amara solummodo siccitas regnat, & insolens perstrepit cupiditatum murmur. Inde fit, ut quotidiana contemplatio, precum præcipue sacerdotalium recitatio, divinæ hostiæ litatio, sacræ synaxes, exomologeses, & reliquæ per diem religiosæ exercitationes non sint nisi alvearium distractionum, sentina defectuum, merus torpor.

Summa: ejusmodi animus est similis hederæ illi Jonæ, quæ percussa à Domino, exaruit: (n) illi aridæ ficui, cui maledixit Christus, & exaruit: (o) illi Evangelico semini, quod cecidit supra petram, & natum aruit. (p) Nam etiam

---

(n) *Jon. 4. v. 7.*  
(p) *Luc. 8. v. 6.*

(o) *Marc. 11. v. 21.*

etiam is non solum nulos solidæ virtutis fructus, sed nec apparentis folia profert; imò nec pietatis umbram projicit. Sed sicca sua sterilitate sibi & aliis molestus accidit; arescit.

Nec mirum: tam parum enim ac virere potest scirpus absque humore, aut crescere carectum sine aqua; (q) æquè parum homo in probitate proficiet sine influente gratia cœlesti. Hæc autem cordi, objecta creata pervaganti, haud facile infundi solet. Sicut enim urbi Bethuliæ imminens *Holofernes aqueductum incidi jussit*; (r) sic etiam tali animæ vindici dextera canales auxiliorum ac supernarum dulcedinum abscinduntur, in pœnam illius dissolutæ levitatis, qua, relicto fonte vivo, sibi fodit cisternas dissipatas, quas tamen præmonita scivit, quia *continere non valent aquas*. (s)

O quoties cœlestis Sponsus, stans ad ostium & pulsans, blanda voce ro-

Pars II.

K

gavit:

---

(q) Job. 8. v. 11. (r) Judith, 7. v. 6. (s)  
Jerem. 2. v. 13.

gavit: aperi mihi soror mea sponsa, quia  
caput meum plenum est rore, & cincinni  
mei guttis noctium. (t) At tu vaga-  
bunda, & à te ipsa peregrinans anima,  
blandientis vocem surda aure excepisti.  
Et licet ille perrexerit clamare: rever-  
tere Sulamitis, revertere, ut intueamur  
te; (u) tamen aures tuae non audierunt  
verbum post tergum monentis; (x) nu-  
gis intenta ad eum redire, tecumque  
habitare recusasti.

¶ Quid ergo mirum, quod modò  
cum Agar ex sinu Abrahæ expulsa, in  
solitudine errans, (y) supero omni  
succo spoliata, debilis langueas? &  
cum gemino Vate ingemiscere coga-  
ris: ah! anima mea est sicut terra sine  
aqua! (z) posuit me desolatam, tota die  
mærore confectam! (aa)

Nempe noluisti benedictionem, & en-  
elongabitur à te. (bb) Fastidisti æthe-  
reum nectar; jure nunc ergo exsicca-

ta

(t) Cant. §. vi. 2.

(u) Cant. 6. v. 12.

(x) Isa. 30. v. 21.

(y) Gen. 21. v. 14. (z)

Psal. 142. v. 15.

(aa) Thren. I. v. 13. (bb)

Psal. 108. v. 18.

ta tabescis. Voluisti ariditatem, & ecce! pleno impetu condensata veniet tibi. Nam audite! ô ossa arida, audite verbum Domini! (cc) vocavi, ait, expectavi, extendi manum meam, obtuli de rore cœli, & non fuit, qui aspergeret; jam & ego ridebo; (dd) cum quasi fœnum ita arescetis, (ee) ridebo.

Justus es Domine, & rectum iudicium tuum! (ff) Fateor, etiam ego abie vagus in via cordis mei. (gg) Dissipatae sunt cogitationes meæ, torquentes cor meum. (hh) Hinc jure arida est, (ii) & tabescit in me anima mea, (ll) quasi stipula ariditate plena. (mm) Sed tu, qui imperas fontibus abyssi & cataractis cœli, (nn) fac, ut quæ erat arida, migret in stagnum, & sitiens in fontes aquarum; (oo) & quæ priùs erat sicut ute in pruina, (pp) deinceps adipe & pinguedine repleatur anima mea,

K 2

(qq)

- 
- (cc) Ezech. 37. v. 4. (dd) Prov. 1. v. 24.  
 (ee) Isa. 51. v. 12. (ff) Psal. 118. v. 137.  
 (gg) Isa. 57. v. 18. (hh) Job. 17. v. 11. (ii)  
 Num. 11. v. 4. (ll) Isa. 35. v. 7. (mm) Na-  
 hum. 1. v. 10. (nn) Gen. 8. v. 2. (oo) Isa.  
 35. v. 7. (pp) Psal. 118. v. 83.

(qq) ut cœlesti dulcedine illecta , ad cordis solitudinem redeat, in posterum sola sibi victura.

III.

*Summa  
inutilitas  
ad procu-  
randam  
aliorum  
salutem.*

III. Præterea exulans à se mens per hanc sui dissipationem inhabilem se & ineptam reddit , qua DEUS velut instrumento utatur ad operandam aliorum salutem. *in ignem mittent.* Id summè verax Numen ipsum testatur, Ezechielem Prophetam his verbis alloquens : *fili hominis , quid fiet de ligno vitiis ?* ( resecto nempe & arido ) nunquid tolletur de ea lignum, ut fiat opus ; aut fabricabitur de illa paxillus , ut dependeat in eo quodcumque vas ? . . . Ecce ! igni datum est in escam : nunquid utile erit ad opus ? (rr)

Quid amplius dici possit ad exprimendam summam ejusmodi palmitis ad omnia inutilitatem , qua major non reperitur *in omnibus lignis nemorum , quæ sunt inter ligna sylvarum ?* (ss) cùm ne quidem aptum sit, ut ligneus ex eo clavus

---

(qq) Psal. 62. v. 6. (rr) Ezech. 15. v. 3.  
& 4. (ss) Ibidem.

clavus seu paxillus conficiatur, è quo suspendatur, illæsumque servetur testaceum aliquod ex domestica supellectili vas; multò minus, ut ex eo sculptoris arte effingatur effigies cuiusdam Sancti.

Nempe (ut rectè ait Augustinus) ligna vitis præcisa nullis agricolarum usibus prosunt, nullis fabrilibus operibus deputantur. (tt) Quin imò teste Hieronymo (uu) ex eis (utì tamen ex aliis igni injectis superant lignis) nequidem remanent titiones, queis frigens manus calefieri queat. Nam ejusmodi palmitem, furno immissum, utpote siccissimum è vestigio mox totum depascitur vorax flamma. Utramque partem ejus consumpsit ignis, & medietas ejus redacta est in favillam. (xx)

O mœstam quidem, genuinam tamen hominis dissipati figuram! nam etiam is coelesti Patrifamilias nulli es-

K 3

se

---

(tt) Tract. 81. in Joan. (uu) Apud Cornel.  
à Lapide in cap. 15. Ezech. v. 4. (xx) Ezech.  
15. v. 4.

se usui potest. Nec quadrat pro virga Moysis, qua indurati Pharaones treantur; nec pro baculo Elisei, quo peccatores ad vitam gratiæ revocentur: nec pro sagitta salutis, qua instar Assyriorum tartarei hostes profligentur: nec pro viarum indice, quo errantes ad cœlum dirigantur. Nam, ut instrumentum efficaciter operetur, dexteræ artificis sit conjunctum oportet. Vinculum autem, quocum manui divinæ copulari nos decet, collectio est. Hanc ergo qui negligit, inhabilem se, quo DEUS utatur, reddit.

Et edic, amabo, quicunque domi  
tuæ peregrinus vivis, qua fronte, quæ  
so, sperare ausis, te Christi in salvan-  
dis animabus adjutorem fore? En!  
sicut aqua effusus es; (yy) & tu collig-  
gas dispersos Iuda? velut alter Jonas fu-  
gis à facie Domini; (zz) & tu congre-  
ges profugos Israël? (aaa) dissipatus es,  
nec compunctus; (bbb) & tu alios red-  
das compunctos corde? (ccc) Apage:  
abomini-

---

(yy) Psal. 21. v. 15. (zz) Jon. 1. v. 3.  
(aaa) Isa. 11. v. 12. (bbb) Psal. 34. v. 16.  
(ccc) Act. 2. v. 37.

*abominabilis & inutilis homo es; (ddd)*  
*nihil ex te fiet operis. (eee) Vinde-*  
*matores Angeli etiam te instar aridi,*  
*& resecti à vite, palmitis in ignem*  
*mittent.*

IV. *Et ardet.* Quod quartum pœ- IV.  
 noe genus est. Nam, testante Augu- Multi-  
 stino, unum de duobus palmiti congruit, plex casti-  
 aut vitis aut ignis. Si in vite non est,  
 in igne erit. (fff) Id est, anima vel  
 adhærebit D E O per mentis collectio-  
 nem, vel igni immissa, ardebit flam-  
 mis cupiditatum, afflictionum, & er-  
 gastuli piacularis. Tu dissipatus cùm  
 vivas, & à teipso extorris, minimè  
 conjunctus es illi, qui de se dicit:  
*ego sum vitis vera. (ggg) Ergo ar-*  
*debis, &*

I. *Quidem æstu temptationum.*  
 Vanæ cogitationes, turpes phantasiæ,  
 appetitus rebelles in tuo animo *velut*  
*scintillæ in arundineto discurrent.* (hhh)

K 4 Modò

---

(ddd) Job. 15. v. 16. (eee) Ezech. 15. v. 5.  
 (fff) Tract. 81. in Joan. (ggg) Joan. 15. v. 1.  
 (hhh) Sap. 3. v. 7.

Modò ureris invidia, nunc incendens libidine, subin flagrabis ira; mox prunas murmurationum, detractionum, fusurrationum congregabis super caput tuum. (iii) ardebit.

2. Mitteris in clibanum variarum calamitatum. Anima enim dissoluta similis est vespæ, quæ, derelicta cellula sua, in cubiculo clauso amens circumvolitat, & hinc atque illinc idem toto nisu impingit. Unde sic, ut aliorum dicteriis, cruditate, injuriis læsa, vilipensa, lacesita, incidat in caminum tristitiæ, amaritudinis & vexationum; indeque non nisi fel colligat, unde mel exsugere parabat. ardebit.

3. Denique purgantibus rogis horrendū & diu crucienda dabitur. Porro quam intensi, universales ac diurni illius carceris cruciatus sint, nuper perpendimus. Jam verò hos immensum sibi auget, & aggravat anima

ma

ma interni secessus pertesa; cum enim diurna ejus opera ob neglectam sensuum custodiam non sint nisi ligna cumulandis his ardoribus apta, deflagrabit *velut quercus ardentibus foliis*: (III) ut *stupra favilla*; (mmm) nec prius inde exiet, quam solverit ultimum quadrantem. *ardebit*. Et haec sunt illa quatuor dissipatae mentis mala, ab ipso Salvatore nobis minaci voce intentata.

O immense DEUS! *in quo vivimus, movemur, & sumus*, (nnn) credo tua Te natura, potentia, scientia & providentia continenter in me praesentem adesse, & omnes omnium gressus considerare, (ooo) ut reddas unicuique secundum opera ejus. (ppp) Adoro Te in cordis mei penetralibus jugiter commorantem.

Ah! non est momentum, quo mei benevolo affectu non recorderis, &

K 5

ego

---

(III) Isa. 1. v. 30. (mmm) Ibid. v. 31.  
 (nnn) Act. 7. v. 28. (ooo) Job. 34. v. 21.  
 (ppp) Matth. 16. v. 27.

ego Tui tuæque præsentia integrorum  
menses immemor vivo, non nisi nu-  
garum tenax. Imò in charitate perpetua  
dilexisti me, (qqq) semper memor mei,  
(rrr) ut benefaceres mihi. (sss) Et  
ego, vah brutam ingratitudinem! &  
ego oblitus fui tui diebus innumeris;  
(ttt) quin etiam feci malum in oculis  
tuis. (uuu) Vixi, quasi nullum Te,  
aut absentem, aut cæcum & surdum  
putarem.

Sed doleo. Deinceps si oblitus fuero  
tui, oblivioni detur dextera mea; adha-  
reat lingua faucibus meis, si non memi-  
nero tui. (xxx) Saltem residuum vitæ  
meæ Tui memoriæ ac amori conse-  
crabo. Quis mihi det, ô Dilecte mi!  
ut inveniam te solum in eremo cor-  
dis mei! (yyy) Quis mihi det, ut se-  
deam tecum in pulchritudine pacis, in  
tabernaculis justitiae, & in requie opu-  
lenta! (zzz) & jam me nemo pertur-  
bet.

(qqq) Jer. 2. v. 20.

(sss) Gen. 32. v. 12.

(uuu) 1. Reg. 15. v. 19.

(yyy) Cant. 8. v. 1.

(rrr) Psal. 113. v. 12.

(ttt) Jerem. 2. v. 32.

(xxx) Psal. 136. v. 5. &amp; 6.

(zzz) Isa. 32. v. 18.

bet. ut vita mea sit abscondita tecum,  
 (A) donec me voces in partem fortis  
*sanctorum*; (B) ubi latabitur deserta,  
 & exultabit solitudo. (C)

### §. III.

#### *Subsidia acquirendi collectionem animi.*

**A**Nimi collectionem esse margaritam quovis pretio comparandam, Olympum humanis nubibus superiorem, paradisum cœlesti nectare abundantem, ex hactenus dictis in comperto est. Potiundi hujus thesauri procul dubio etiam nos cupido incesserit. Nostra quoque anima sola soli, una uni DEO conjungi per beatam hanc solitudinem ardebit. Non nisi alas nobis ambire videmur, quarum beneficio in altum sublati, ad optatam hanc mentis eremum evolamus, cum regio Vate suspirantes: ah! quis dabit mihi pennas sicut columbae? & volabo, & requiescam. (a) Has igitur

præ-

---

(A) Coloss. 3. v. 3. (B) Coloss. 1. v. 12.  
 (C) Isa. 35. v. 1. (a) Psal. 54. v. 7.

præsens paragraphus subministrabit, tria acquirendi hujus boni subsidia suppeditando.

I.  
*Cura silentii per custodiam cubiculi.* I. Primum est cura silentii per custodiam cubiculi. Quæ duo ob sororium, quo mutuò sociantur, nexus hic quoque copulari, & in fronte agminis poni merentur; cùm ejus generis adjumentum sint, sine quo votorum metam non attingemus. Nam intimus hic nostrî intra nos receptus est singularis quadam ac primi ordinis gratia. Hæc *in malevolam animam non introbit*, nec *habitabit in corpore subdito peccatis.* (b) Anima loquax & vaga plurimis nævorum maculis certò sordebit; nam *in multiloquio non deerit peccatum.* (c) Ergo nec deerit sui effusio. Ergo talis cœlesti hoc dono minimè ditabitur.

Dein si etiam illud gratuitò concederetur, tamen sine submissis cœlitus auxiliis delicata hæc virtus conservari nequit. Jam verò teste Dorotheo

*multi-*

---

(b) Sap. 1. v. 4. (c) Prov. 10. v. 19.

multiloquium hæc auxilia impedit; dum sanctas illustrationes, ac divinas motiones suffocat, & extinguit. (d) Ergo ubi hoc vitium regnat, illa exulet, necesse est.

Denique solitaria hæc secum habitatione ac familiaris, quæ eam subsequitur, cum Creatore consuetudo requirit præviam hominis interni compunctionem & quandam spiritus habilitatem: exigit sui incolam, turbis vacuam, & cœlestium avidam mentem: opus est cordis puritate, orationis assiduitate, affectuum missilium frequentia & ardore. Hæc autem ex Patrum sententia, & suffragante experientia, sine accurata linguae & conclavis custodia haberri nequeunt. Ergo sine hac nec dicta animi decora obtineri possunt.

Adhæc Religiosus extra cellam per domus ambulacra aut urbis plateas frequenter circumcursans, & garrula loquacitate ubivis cum quovis colloquia

quia miscens, similis est myrothecæ, operculo carenti, balneo identidem recluso, & fornaci semper apertæ; unde inclusus omnis spiritus, atque calor facto impetu diffugunt.

In tali nullus conscientiæ nitor, fervor nullus, nulla quies, aut attentio ad præsentiam DEI vigere potest; cùm nugæ nugarum phantasiam, cogitationum turbo intellectum, appetituum tumultus voluntatem, glacialis tepor animam pleno jure occupent, distrahant, vexent, & plurima labe inficiant.

Sicut enim, testante sacro Codice, vas, quod non habuerit operculum nec ligaturam desuper, immundum erit; (e) ita pariter cor semper patulum atque dissolutum innumeris defectibus, tædiis, & perturbationibus veluti totidem sordibus ubertim replebitur. In ejusmodi autem pectore pretiosa, quam extollimus, gemma latitare nulla ratione poterit. Ergo sine solitudine,

dine, & silentio nulla dabitur spiritus collectio.

Proin qui intendit ad interiora & spiritualia pervenire (monet pius Asceta) oportet eum cum JESU à turba declinare. Nam anima devota tantò Creatori suo familiarior fit, quantò longius ab omnè seculari tumultu degit. (f)

Et certè nullibi lilia animi securius florent, ac purius nitent, quam in sacro hoc deserto; facilius enim est (ut idem Auctor fatetur) omnino tacere, quam verbo non excedere: & domi latere, quam foris sufficienter se custodire; quia raro sine lesione conscientiae ad silentium reditur. (g) & plerumque nil aliud inde quam mens dissipata, pia culis sordida, stimulis anxia, tædiis mœsta, vanissimisque ideis onerata refertur. Quæ omnia summè noxia interni recessus obstacula sunt.

Quin imò vagus ejusmodi & loquax agyrta à lapsu in graviora haud pro-

---

(f) De imit. Christi, l. 1. c. 20, (g) Ibid.  
c. 20. & 10,

procul abest. Nam ( ut ait Albertus Magnus ) *ubi non est taciturnitas, ibi homo de facilis ab adversario superatur.* (h) Idem Salomon sequenti similitudine confirmat: *sicut, inquiens, urbs patens & absque murorum ambitu facile expugnatur; ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum,* (i) levi negotio ab orco debellatur.

Rationem hujus assignat Gregorius Magnus, dicens, *incipies quidem à bonis verbis, sed ab his pervenies ad otiosa, ab otiosis ad jocosa: inde gradum facies ad mendacia, rixosa, pernicioса. Verbo: incipies à parvis, & desines in magnis.* (l) *Quis autem credat cum his defecuum monstris ætheream hanc, de qua agimus, progeniem subsistere posse?* Ergo sine solitudine, & silentio nulla obrinebitur animi collectio.

Ipsa Sulamitis, quamdiu *Dilectum per vicos & plateas quæsivit, eundem minimè invenit.* Nec priùs suavi ejus allo-

---

(h) Lib. de virt. c. 31.  
(l) Lib. 7. moral. c. 17.

(i) Prov. 25. v. 28.

alloquio recreata est, quām postquam se recepit in domum matris suæ, & in cubiculum genitricis suæ. (m)

Et hinc (ut refert Thomas à Kempis) maximi sanctorum humana consortia, ubi poterant, vitabant, & DEO in secreto vivere eligebant ; (n) probè gnari, in mundi foro & garrulos inter cachinnos nec cœlestes susurros percipi, nec perfectionis semitam reperiri. Ipse David factus est sicut nitycorax in domicilio : sicut passer solitarius in tecto : & similis Pellicano ; ne nempe in externa effusus aresceret sicut fænum. (o)

Ipse Christus suos discipulos, ab hominum frequentia abstractos, (narrante Marco) in desertum locum abduxit, (p) ut eos taciturnam mentis eremum amare doceret. Quin imò ipse DEUS servo suo Moysi non nisi silenti, & à populi societate disjuncto : non nisi in caligine nubis, aut in ta-

Pars II.

L berna-

(m) Cant. 3. v. 4. (n) L. 1. de imit. Christi. c. 20. (o) Psal. 101. v. 7. & seq. (p) Marc. 6. v. 31.

bernaculo fæderis sua sensa communicavit. (q)

Non citius insonuit vox Dilecti in auribus Sponsæ, quām illa tacens latuit velut columba in foraminibus petræ, in caverna maceriae. (r) Nec prius omnipotens sermo Numinis de cœlis à regalibus sedibus venit, quām cùm quietum silentium continerent omnia. (s)

Quo erudiremur, taciturnitatem ac solitudinem geminas esse alas, quarum remigio ad sanctitudinis culmen evolandum sit: duos esse canales, per quos bonorum omnium fons suas in nos gratias derivare consuevit. Verbo: absque custodia linguæ ac cubituli nullam fore collectionem animi. hac autem deficiente, etiam de sanctimonia desperandum esse; cùm sine hac cum Divino Spiritu nulla possit esse communicatio animæ, nulla hujus progressio in virtute secundum illud Sacrae Paginæ effatum: *Vir verbus*

(q) Exod. 19. v. 9.

(s) Sap. 18. v. 14.

(r) Cant. 2. v. 14.

*fas nunquam justificabitur, (t) id est,  
(ut exponit Gregorius Magnus) san-  
ctitatem nunquam adipiscetur. (u)*

Contrà verò, qui labiis frænum  
injicit, is verbo non offendit; *qui au-  
tem in verbo non offendit, (B. Jacobi  
oraculum est) hic perfectus est vir. (x)*  
Adeò potens loquacitatis moderatio,  
& quæ prioris soror est, solitaria se-  
cum habitatio acquirendæ perfectionis  
remedium sunt.

Ut proin mirum sit, nos virtutes  
has velut asperas nimium & incultas  
adeò fugere, & aversari. Et tandem  
cur bene valentibus nobis adeò grave  
accidat, quod tamen ægrotis aliquan-  
do volupe erit? tunc enim ingens lo-  
quendi tædium elingues nos reddet;  
nosque conclavi inclusos, multa luben-  
tia detinebit. Cur ergo idem modò  
agere horreamus amore sanctitatis,  
quod tam prompti faciemus intuitu  
sanitatis? Plus ergo in nobis possit va-

L 2      letudi-

(t) Job. 11. v. 2.  
(x) Jac. 3. v. 2.

(u) Lib. 10, moral. c, 2.

letudinis quām sanctitudinis cupido?  
Apage tantam cœlestium incuriam.

Proin vide, quām arctos & rectos  
secundūm Ecclesiastici monitum orī tuo  
*tu frēnos* ponas, (y) quamque sedu-  
lus sis cubilis tui custos? Considera,  
an imiteris columbam à Noēmo ex  
arca emissam, quæ domestici latibuli  
amans, mox iterum reversa, ad co-  
lumbarium rediit? Vel num potiūs  
septeris corvum extra nidum per ca-  
davera circumvolantem, & crocitanti  
tarditate redditum procrastinantem?

Examina, an Gentium Doctori ob-  
sequens, *ineptas & inanes fabulas de-*  
*vites?* (z) ac cum Apostolis cœna-  
culo inclusis, adventum Spiritūs San-  
cti etiam tu cellæ īcola exspectes?  
vel num potiūs sis ex numero illarum  
animarum, quas describit Sanctus Pau-  
lus, & quæ non solum otiosæ, sed & ver-  
bosæ, & curiosæ, loquentes, quæ non opor-  
tet, discunt circuire domos? (w)

Defe-

---

(y) Eccli. 28. v. 29. (z) 1. Tim. 4. v. 7.  
(w) 1. Tim. 5. v. 13.

Defectus si quos deprehenderis,  
oculus emenda, ac firmiter statue, cu-  
biculo posthac non exire, nisi vel ne-  
cessitas, vel charitas, vel obedientia  
id exigat. Cùm verò te inde prodire  
una ex allatis rationibus coegerit, prius  
elevata ad cœlum mente, postula gra-  
tiam vitandi illa offendicula, in quæ  
aliás incurristi, vel in quæ ne modò  
pedem induas, periculum est.

2. Dein ausculta monenti Syracidæ,  
& sepi aures tuas spinis. (aa) Sepiun-  
tur autem aures spinis, ait Nazianze-  
nus, quando arcemus ab auditu nostro  
& malè & mala loquentes, ac vana nar-  
rantes. (bb) Neque enim tantum pro-  
pria lingua timenda est, (Bernardi verba  
sunt) ne malè loquamur; sed etiam alie-  
na, ne malè loqui discamus, ac inutili-  
bus ideis phantasiam repleamus. (cc)  
Proin linguam nequam nolè audire: (dd)  
novitatum ac nunciorum ridiculus au-  
ceps ne sis.

L 3

3. Cùm

---

(aa) Eccli. 28. v. 28. (bb) Oratione 9.  
(cc) Serm. de affect. divers. animæ. (dd) Eccli.  
28. v. 28.

3. Cùm regio Psalte àverte oculos tuos, ne videant vanitatem. (ee) Cave cum Ecclesiastico, ne in pluribus operibus curiosus sis. (ff) Noli domesticum exploratorem agere, & quid rerum domi tractetur, oculatiūs observare. Sed potius (memor illius, quod Christus Petro: quid ad te, tu me sequere) (gg) Davidem imitare, qui factus est, sicut homo non audiens: & sicut mutus non aperiens os suum. (hh)

Opportunè ad rem notus Asceta: fili, ait, in multis oportet te esse insciūm, & existimare te tanquam mortuum super terram, & cui totus mundus crucifixus sit. Multa etiam oportet surda aure pertransire. Utileius quoque est, oculos à rebus displicentibus avertere. (ii) Hæc si observaveris, cum juniore Tobia bono Angelo duce indemnus, imò meritis ditior domum reverteris.

Linguam quod attinet, morem gere cœlesti oraculo, & facito ostia ore tuo.

---

(ee) Psal. 118. v. 37. (ff) Eccl. 3. v. 24.  
 (gg) Joan. 21. v. 22. (hh) Psal. 37. v. 14.  
 & 15. (ii) De imit. l. 3. c. 44.

tuo. ( ll ) Ostium conclavis nec semper clausum tenetur, nec semper aperatum; sed pro diversitate temporis & personarum modò clauditur, modò aperitur. Panditur amicis, occluditur inimicis. Pari modo etiam nostro in casu oris janua verbis prudentibus, piis, ac utilibus reseranda erit; malis verò ac perversis obseranda. Cùm autem nostri hoc oris ostium nimis versatile sit ac lubricum, hinc, ne in ejus custodia erres, sequentes regulas in digitos mitte.

Prima concernit *tempus*, quo loquendum; est enim (ut ait Salomon) *tempus tacendi, & tempus loquendi.* (mm) Hoc autem moderamen nosse, magna scientia: observare, insignis prudentia est. Quin nota est, qua teste Spiritu Sancto prudens à stulto discernitur; sic enim inquit: *homo sapiens tacebit usque ad tempus: imprudens autem non servabit tempus.* (nn) Imò, ut idem ait: *verba in tempore suo prolata, sunt*

L 4

mala

---

(ll) Eccli. 28. v. 28. (mm) Ecclæ. 3. v. 7.  
(nn) Eccli. 20. v. 7.

*mala aurea in lectis argenteis. (oo)*  
*Contrà verò reprobabitur parabola non*  
*dicta in tempore suo. (pp) Tanti refert,*  
*callere hanc artem.*

Proin cave, 1. ne loquaris, quando  
 silendum; non enim poteris bene ser-  
 mocinari sine gratia. Quomodo au-  
 tem hanc à DEO speres, si garrias ea  
 hora, qua is tacere te jubet?

2. Ne loquaris, antequam loquen-  
 dum. Et hinc (ut monet Ecclesiasti-  
 cus) priusquam audias, ne respondeas  
 verbum: & in medio sermonum ne adji-  
 cias loqui. (qq) Nam qui prius respon-  
 det, quam audiat, stultum se esse demon-  
 strat, & confusione dignum. (rr)

3. Ne loquaris diutius, quam lo-  
 quendum. Ne sis totus rima, per  
 quam pleno gurgite effluat, quidquid  
 intus latitat. Secus, cum verbis etiam  
 spiritus in auras certò certius evolabit.  
 Triplex hoc silentium multa pace so-  
 litari-

---

(oo) *Prov. 25. v. 11.* (pp) *Eccli. 20. v. 22.*  
 (qq) *Eccli. 11. v. 8.* (rr) *Prov. 18. v. 13.*

litariam replebit mentem; nam ( ut  
habet Sapientis effatum ) qui custodit  
os suum & linguam suam, custodit ab  
angustiis animam suam. (ss)

Secunda regula versatur circa mate-  
riam, de qua loquendum. Eam de-  
terminat Gentium Doctor Paulus, ad  
Ephesios sic scribens: *omnis sermo ma-*  
*lus ex ore vestro non procedat; sed si quis*  
*bonus, ad edificationem fidei, ut det gra-*  
*tiam audientibus.* (tt) Idem monet  
S. Petrus, dicens: *si quis loquitur, quasi*  
*sermones DEI.* (uu)

Proin non sufficit, ut recedant ve-  
teria de ore nostro; (xx) id est, ( prout  
exponunt sacri Interpretes ) ut à ver-  
bis superbis, mordacibus, asperis; ver-  
bō: ut ab illicitis abstineamus; sed in-  
super requiritur, ut more Apostolo-  
rum differamus linguis novis, nempe  
de cœlestibus ac divinis; idque eo  
fervore, ut etiam de quolibet nostrūm  
dici possit: *exibat de ore ejus gladius*

L 5

ex

(ss) Prov. 21. v. 23.  
(uu) 1. Petr. 4. v. 11.

(tt) Ephes. 4. v. 29.  
(xx) 1. Reg. 2. v. 31.

*ex utraque parte acutus.* (yy) Hoc est, tales loquelæ ex labiis nostris profluant, quæ instar ancipitis gladii utraque acie, amoris scilicet & timoris, audientium corda penetrent, ac diffundant.

Tertia regula moderatur modum, quo loquendum est, qui in eo consistit, ut circumspectè loquamur. *Circumspectè autem loquimur,* (ait Petrus Bleffen-sis) si charitas, si necessitas, si utilitas loquerendum esse suadeant. Si de DEO, si de nobis, si de proximo congruè loqua-mur: nempe de nobis humiliter, & mode-stè: de proximo adificative: de DEO gloriösè. (zz) Si loquamur, (ut ait Apostolus) sicut decet Sanctos. (aaa) *Quodsi quid* (Basilii verba sunt) *ad ani-mum recreandum dicimus*, sit id sale *Evangelicæ sapientiæ*, aut festiva intel-ligentia, aut ratione conditum. (bbb) Proin secundùm Philosophi pronun-ciatum aut file, aut affer meliora si-lentio; & quidem cum circumspectio-ne,

---

(yy) Apoc. i. v. 16. (zz) Epist. 102.  
(aaa) Eph. 5. v. 3. (bbb) Serm. de instit-renunc.

ne, in pondere sermonis, secundum prudentiæ leges.

Id autem ut fiat, monet Hieronymus, diu, antequam sermo laxetur, cogitandus est. Nam lapis emissus, sermo prolatus; (ccc) neuter enim revocari potest; cum semel emissum volet irrevocabile verbum. (ddd) Proin, ut suadet Bernardus, antequam verba enuncies, bis ad limam veniant, quam semel ad linguam. (eee)

Præterea sis velox ad audiendum, tardus ad loquendum. (fff) Imò S. Bonaventura te æquè parcum vult esse in proferendis verbis, ac avarus est in profundendis pecuniis. Et cupid te cum æquè magna difficultate os aperire ad sermocinandum, cum quanta avarus crumenam aperit ad solvendum. (ggg)

His perpensis examina modò, quomodo ista hactenus observaveris? quid-

---

(cce) Epist. de virgin. servanda. (ddd) Horat. ep. 19. lib. 1. (eee) Bern. in Spec. Monach. (fff) Jac. 1. v. 19. (ggg) To. 2. opusc. lib. 2. de profectu religioso c. 10.

quidve in posterum agere velis? si sapis, verbis tuis facito statuam, (hhh) qua prius ponderentur, antequam proferantur. Si animi collectionem obtinere cupis, cum Arsenio fuge, late, tace; nam cura silentii per custodiam cubiculi insigne ejus obtainendæ subsidium est. Oigitur quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, ut lingua mea non perdat me! (iii) Quis me ducet in solitudinem, ut ibi me lactet Dominus, & loquatur ad cor meum! (III)

II.  
Fuga oc-  
cupatio-  
num ni-  
mis dissi-  
pantium.

II. Alterum non minus efficax, quam necessarium acquirendi hujus thesauri adjumentum est fuga occupationum valde dissipantium; utpote sine quo etiam assignatum paulò ante remedium suo effectu frustrabitur. Nam (quæ Gregorii M. sententia est) quid prodest solitudo corporis, si defuerit solitudo cordis? (a) Quid prodest, ait Seneca, totius regni silentium, si tuo in pectore affectus fremant? (b)

Quid

---

(hhh) Eccli. 28. v. 29. (iii) Eccli. 22. v. 33.  
(III) Osee. 2. v. 14. (a) Lib. 30. moral. c. 12.  
(b) Epist. 6.

Quid juvat tota die cubiculo inclusum hærere, & taciturnitati plus quam Pythagoricæ linguam devovisse, si tuus interea animus negotiorum mole oppressus, omne de cœlo cogitandi spatum sibi eripi patiatur? Si functionibus tuis ita te mancipes, ut ex temetipsum tibi, tuæque DEUM memoriæ penitus suffurentur? Ejusmodi mentis secessu etiam gaudet religatus ad transtra Maurus, & transcriptus domui castigatoriæ reus.

Tria autem potissimum sunt, quæ nos in actionibus nostris vehementius distrahunt, 1. nimia negotiorum multitudo. 2. nimium præceps in iis exemplidis solertia, seu vulgo activitas. 3. nimis anxia de eorum successu solicitudo. Primum obruit, alterum fugat, ultimum exsiccat spiritum. omnes tres collectionis sacræ jurati sunt hostes.

Primo. Nimiam agendorum copiam quod attinet, ea non minus frequens, quam stultum solitariæ hujus intra se quie-

quietis impedimentum est. Non paucos enim reperire est, præsertim inter mundanos, qui affectant esse Universale quoddam à parte rei, commune Agens, & primum Mobile omnium negotiorum.

Eorum de se judicio si fidem habeas, soli illi rebus gerendis sunt apti: nihil bene fieri nisi per eos potest: nisi ipsi rem animent, omnia languent. Quasi verò omnis dexteritatis, ac prudentiæ soli ipsi, ut ita loquar, depositarii essent, ac cum ipsis consultrix sapientia omnis eodem fato tumulanda foret.

Hinc cuncta, præcipue honorifica si sint vel proficia, sibi tractanda assumunt. Non charitas id, zelus aut laborum aviditas; sed palmaris superbia, nimiūmque sibi præfidens arrogancia est: insolens aliorum vilipensio, imò impudens stultitia est, omnem laudis sumum sibi soli vendicans.

O vane!

O vane! ne in multis sint actus tui,  
 (c) monet Siracides. Præstat parum  
 agere & bene, quam multum & ma-  
 le. Ipsa cœlestis Sponsa, alienis invi-  
 gilando, se propria neglexisse fatetur,  
 duim ait: posuerunt me custodem in vi-  
 neis: vineam meam non custodivi. (d)  
 Nec ipse Moyses tot simul curis se pa-  
 rem esse judicabat; & hinc consilium  
 cognati sui Jethro fecutus, iis sese ma-  
 ximam partem abdicavit. (e) Tu nec  
 illa solertior, nec isto prudentior.  
 Proin ambos imitaturus dispice, qui-  
 bus te officiis tuo pro lubitu libera-  
 re possis.

Præcipue verò ab illis te extrica,  
 quæ mundum olent. Nam, ut ait Apo-  
 stolus, nemo militans DEO implicat se  
 negotiis secularibus. (f) Iis solum te  
 occupa, quibus ut vaces, vel obedien-  
 tia mandat, vel ratio suadet; memor  
 illorum Pauli verborum: rogamus vos  
 Fratres, ut vestrum negotium agatis,  
 (g) scilicet propriæ perfectionis, ut  
 pote

---

(c) Eccl. 11. v. 10.

(d) Cant. 1. v. 5.

(e) Exod. 18. v. 18.

(f) 2. Tim. 2. v. 4.

(g) 1. Theffal. 4. v. 11.

pote quod omnium præcipuum, & excellentissimum est; cui comparata reliqua omnia, non nisi aniles nugæ sunt & pueriles naniæ.

*Secundò.* Cæterum in iis, quæ necessariò nobis explenda incumbunt, fugienda est inconsiderata quædam solertia, seu (ut vulgo dicitur) activitas ac præceps imperus in agendo. Sunt enim nonnulli, qui dum cuidam muneri, quod vel arridet, vel urget, sese impendunt, id eo animi nisu, virium contentionē, & appetentiæ pruritu faciunt, quasi ab eis tota cœli moles cum Athlante succollanda foret. Dumque omnem simul actionem uno hiatu abligurire satagunt, ab eadem ita se absorberi sinunt, ut sui impones, velut vortice hausti, toti sint studium, musica, lectio.

Quām noxius hic nævus sit, sat explicari nequit. Prævenit enim omnem divinam motionem, corruptit puram intentionem, fugat animi pacem, impedit coelestes gratias, & dignita-

nitatem operum meritumque vel tollit omnino, vel saltet plurimum attenuat. Nam *substantia festinata* ( ait Sapiens ) minuetur; quæ autem paulatim colligitur manu, hæc multiplicabitur. (h) Quod verò pejus est, mentem ad diurnam, de qua agimus, collectiōnem penitus inhabilem reddit; cùm omnem DEI memoriam etiam tenuem oblitteret.

Pia talium hominum desideria conceptaque in meditatione proposita dissipantur, ac pereunt sicut pulvis, turbine raptus ex area, & sicut fumus de fumario. (i) Dumque miseri sub vitæ crepusculum à labore fessi cessabunt, etiam ii (sicut illi viri divitiarum) illuminati mirabiliter à montibus aeternis, nihil invenient in manibus suis (l) præter paleas, quas Christus judex, cùm purgabit aream suam, comburet igni. (m)

Porro industriæ moderandi præcipitem hunc operandi modum sunt

Pars II.

M

sequen-

(h) Prov. 13. v. 11.  
(l) Psal. 75. v. 5, & 6.

(i) Osee. 13. v. 3.  
(m) Luc. 3. v. 17.

sequentes. 1. Antequam ejus generis occupationi te accingas, priùs concipe propositum, ab hoc nævo saltēm hac vice tibi cavendi; idemque tibi, quod olim Esdræ, à cœlesti Genio dici finge, scilicet: *noli festinare.* (n)

2. Dein quamprimum ac in decurso functionis à nimio æstu te abripi senseris, imaginare tibi ab Angelo Custode minanter inclamari: *festinas inniter;* (o) moxque paululum subsiste, bonam iterum intentionem priusque decretum, sublatis in cœlum oculis, piè renovando.

3. Quodsi nec hac arte impotens pruritus frænari, frangique possit, manum à tabula tantisper remove, cœptum opus aliquantulum interrumpe, saltēm aliquot horæ minutis ab eodem cessando. Nec tibi doleat levis hæc temporis jactura; hæc enim compensabitur majori merito.

Sed

---

(n) 4. Esdræ, 6. v. 34. (o) 4. Esdræ, 4.  
v. 34.

Sed nec festinando quicquam lucraberis; nam (ut ait Ecclesiasticus) est homo laborans, & festinans; & tanto magis non abundabit. (p) Quod enim properanter fit, nunquam beneficet. Sicut enim qui festinus est pedibus, ita & qui festinus est manibus, offendit. (q) Solùm in mora consilium; qui autem agunt in consilio, (ait Salomon) reguntur sapientia. (r) Et hinc illa mulier fortis tot encomiis à Spiritu Sancto extollitur; quia operata est consilio manuum suarum, (s) id est, cum moderata, prudenti, sedata, ac nil præcipitante solertia. Hanc ergo imitare, ut & tu sapiens, & fortis audias, ac intra te collectus vivas.

Tertio. Denique nimia solicitude de negotiorum successu est ultimus ille hostis, qui nos in actionibus nostris vehementius distrahit, & à mentis solitudine arcet. Hæc enim anxietas ac futuri eventus timor sunt illæ spinæ, quæ divinam sementem, æthe-

M 2 reos

(p) Eccl. 11. v. 11.  
(r) Prov. 13. v. 10.

(q) Prov. 19. v. 2.  
(s) Prov. 31. v. 13.

reos nempe instinctus, arida mole suffocant. sunt ille *ventus urens*, qui *siccatur fructum operis omnem*. (t) sunt illa tinea, quæ mordaci cura vitæ filium arrodit, & functionis meritum corrumpit. Estque hoc malum etiam inter pios adeò frequens & commune, ut etiam illi non raro cum Antiocho ingemiscere cogantur, dicendo: *recessit somnus ab oculis meis: concidi, & corruit corde præ solicitudine.* (u)

Quantopere autem anxia hæc inquies pacato Numini displiceat, ipse Christus in Evangelio declarat, dum ob eandem Martham reprehendit his verbis: *solicita es, & turbaris erga plurima.* (x) En! fidelem hanc animam nec operis sanctitas, nec bona voluntas, nec urgens necessitas ab hac reprehensione immunem præstare poterant; qui nostri tamen ordinarii prætextus & effugia sunt, quibus timidas has anxietates nostras palliare solemus.

Nostra

---

(t) Ezech. 19. v. 12. (u) 1. Mach. 6. v. 10.  
(x) Luc. 10. v. 41.

Nostra quidem opinione solum Numinis, & aliorum cura nos angit. Interea si animi recessus, immisso cœlesti radio, penitus inspiciamus, non gloria DEI, sed nostra: non honor Ordinis, sed proprius: non judicium Cœlitum, sed hominum adeò turbat, nosque sollicitos habet. Verum quæcunque demum illa sit causa, quæ nos cruciat, morem geramus Christo hortanti: *nolite solliciti esse;* (y) nam *DEus providebit,* (z) omniaque sagax ad nostrum quoque emolumentum disponet.

Itaque excussis his timoribus vanis, etiam nos cum Maria optimam partem eligamus, & i. generoso jaectu in divinum Providentiae sinum nos conjiciamus, rerumque nostrarum successum omnem eidem indifferenti fiducia committamus, omnem sollicitudinem nostram projicientes in *DEUM;* quoniam ipsi cura est de nobis. (aa) Omnipotens enim, omnium sciens, no-

M 3

stri-

(y) Matth. 6. v. 34.

(z) Gen. 22. v. 8.

(aa) i. Petr. 5. v. 7.

strique amantissimus cùm sit ; sciet ; poterit, & volet nobiscum hoc in negotio efficere id , quod suæ majori gloriæ ( quæ sola à nobis spectanda erit) nostræque saluti magis congruet. Idque eò amplius agere nos convenit, cùm Numinis bonitas conatum, non successum : labores , non fructus præmiare consueverit.

2. Cùm potissima hujus morbi origo judicii humani metus sit , ac insanus timor illius idoli : *quid dicent homines?* horum omnium illustris contemptus efficax antidotum erit. Hunc in finem juverit attentè perlegisse, quæ parte I. cap. §. §. 4. de hac materia fusiùs pertractantur.

Hæc tria ergo obstacula , nempe nimiam negotiorum multitudinem , nimis præcipitem in iis explendis soler- tiam seu vulgo activitatem , & denique nimiam de eorum successu soli- citudinem si per assignatas superiùs in- dustrias è medio sustulerimus , occu- pationes nostræ, fabricandæ cordis ere- mo ,

mo, non solùm nulli ampliùs impedimento, sed potiùs adjumento erunt.

III. Explicandum superest ultimum, III.  
idque præcipuum comparandæ solidudinis internæ subsidium, quod est Frequens exercitium præsentis sentiæ DE constans exercitium præsentia DEI. frequens exercitium præsentis sentiæ DE  
Quam excellens id, quamque necessarium exstruendæ, in qua mens abdita secum moretur, portatilis cellæ remedium sit, abunde patet ex ejus descriptione; est enim perennis fides & amor præsentis DEI. Cùm igitur animi collectio nil aliud sit, quam continuata & affectus plena attentio ad existentem in nobis immensam Numinis Majestatem, evidens est, efficacius hujus posterioris obtinendæ adjumentum assignari haud posse, quam assiduam prioris exercitationem.

Proin si collectus, secumque habitans, animus nos à variis defectibus liberat: si præsentissimum est procurandæ perfectionis instrumentum: si denique sublimum gratiarum scutum rigo est & terrestre quoddam cœlum,

( ut suprà ostendi ) horum omnium præsentiaæ divinæ consideratio nobile fundamentum est , nutrix ac fulcimentum.

Illius exercitium , hoc ipso quod in perenni cognitione & amore Numinis situm sit , est functio adeò sublimis , ut excellentior actio nec à Cherubinis excogitari possit ; cùm sit unica occupatio non solum Beatorum in cœlis sed etiam Christi ; imò ipsius SS. Trinitatis , quæ lucem inhabitans *inaccessibilem* , ( bb ) integra æternitate sola sui contemplatione ac dilectione se felix occupabat ; & etiam posthac æternis temporibus se distinebit . In hac exortatione omnis Cœlitum felicitas est posita ; ac etiam nostra olim beatitudo consistet . Cur ergo jam nunc incipere in terris renuamus , quod tamen perpetuò continuare in cœlis optamus ?

Vah ! probrum humanæ mentis !  
Fatemur nos ab illo Ente Supremo ve-  
lut

lut spongiati ab aquore, terram ab aëre, corpus ab anima ambiri, penetrari, animari. Credimus, quoniam auris zeli illius audit omnia, (cc) & quoniam omnia videt oculus illius. (dd) Credimus, quod sit Dominus scrutans cor, & probans renes: qui dat unicuique juxta viam suam, & juxta fructum ad inventionum suarum. (ee) Et tamen illius ita immemores vivimus, ac si nubes latibulum ejus foret, nec nostra consideraret: & quasi nihil posset facere Omnipotens, ac solum per caliginem judicaret. (ff)

O Superi! Ille renum testis, scrutator cordis, & linguae auditor DEUS (gg) coram me est, ut me consideret: mecum est, ut me gubernet: in me est, ut me animet: mecum audit, & videt: gustat, & sentit: loquitur, & agit: pro me semper laborat: de me nunquam non cogitat: me continuò intensissimè amat. Et ego vilis vermiculus ejus immensa Divinitatis om-

M 5

ni

---

(cc) Sap. 1. v. 10. (dd) Eccli. 23. v. 27.  
 (ee) Jeremi. 17. v. 10. (ff) Job. 22. v. 13.  
 & seq. (gg) Sap. 1. v. 6.

ni vix non vita oblitus vivo; nec il-  
lius præsentiaæ priùs recordor, quām  
dum ejus bonitatem offendō.

O Domine! cuius oculi hominum  
corda intuentur usque in absconditas par-  
tes, (hh) ergóne possibile est, ut eo-  
dem te, quo capitalem inimicum, ha-  
beam loco? utpote quem obvium mi-  
hi, imò intimè & continuò præsen-  
tem, amico mentis obtutu vel respi-  
cere dedignor; & quidem eo tempo-  
re dedignor, quo debitum tibi soli  
amorem tuis hostibus prodigo.

O anima! templum Domini es:  
eius sedes & thronus es, in quo is  
habitat, quiescit, residet; & tamen  
illius confortii pertæsa extra te ipsam  
sponte exul vagaris. Memoria tua de-  
beret esse foederis arca, asservandæ ejus  
imagini destinata; & alvearium est tot  
vilibus fucis plenum, quot inanibus  
phantasiis spurcum. Intellectus tuus  
æmulari deberet candelabrum illud au-  
reum, non nisi fovendis de cœlo lu-  
mini-

minibus, ac divinis cogitationibus dicatum; & non nisi oblivious DEI tenebras nutrit. Voluntas tua deberet esse altare mundissimum, non nisi cœlestibus flammis & affectuum holocaustis consecratum; & Conditoris immemor tepida friget, nec nisi pravis appetitibus ardet.

O Seraphini! quis audivit unquam tale, aut quis vidit huic simile? (ii) Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui; Israël autem me non cognovit. (II) Sola tu, ô ingrata anima! oblitæ es DEI Servatoris tui, & fortis adjutoris tui non es recordata. (mm) At time, ne vicissim etiam tui ejus misericordia obliviscatur: & sola ejus justitia tui recordetur.

Id ergo ne fiat, omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto DEUM, (nn) ac in omnibus viis tuis cogita illum; nam ipse dirigit gressus tuos. (oo) Et quidni? ah! nullum est momentum, quo ho-

mo

---

(ii) Isa. 66. v. 8. (II) Isa. I. v. 3. (mm)  
Isa. 17. v. 10. (nn) Tob. 4. v. 6. (oo) Prov.  
30. v. 6.

mo non utatur, vel fruatur illius bonitate. Ergo nullum pariter debet esse momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria. ( pp ) ita argumentatur Ambrosius. Ergo non tam sëpe respirare, quam illius meminisse debemus. ( qq ) ita infert Nazianzenus. Ergo in omni actu vel cogitatu suo quisque sibi DEum adesse memoret, & omne tempus, quo de ipso non cogitat, perdidisse se computet. ( rr ) sic concludit Bernardus. Has proin tam legitimas conclusiones in usum deducere posthac statue.

Hunc in finem sequentes industrias tibi familiares redde. I. Sæpius interdiu elice actum fidei, Universi Dominum tibi præsentem adesse. dico fidei; nam ejus præsentia est potius credenda, quam imaginanda; aut sub variis conceptibus vel ideis phantasie repræsentanda. Hæc enim plurimum fatigant, caput laedunt, vires attenuant, & ad alias occupationes nos inhabiles reddunt.

Ec

---

( pp ) Lib. de dignit. condit. hum. ( qq ) In orat. I. Theolog. ( rr ) In Spec. Monach.

Et hinc non multum probo praxin illorum, qui Christum Salvatorem nostrum modò sub forma juvenis: modò sub specie viri: nunc ut patientem: alias ut gloriosum sibi depingunt, & ponè adstantem, aut intra se residentem figurant. Nec adeò aridet methodus illorum, qui cœli terraque Monarcham, incomprehensumque Spiritum ut iridem aut annulum triplici colorum genere lucidum: vel ut oculum, solem, aut triangulum commentitia representatione in cordis atra commorantem fingunt.

Nam præterquam quod hæc periculosa, sanitati noxia, & non raro illusionibus (saltē in tyronibus ac minùs expertis) obnoxia sint; insuper à veritate aliena sunt. Licet enim Christus sua, quam nobis promeruit, tum immanente, tum transeunte gratia, aliisque titulis (veluti causa in productis à se effectibus) in nobis habitet; tamen in sola Eucharistia corpore & anima coram reaperte moratur. Dei vero, materiæ cùm expers sit, corporeæ

190 Pars II. Cap. III. §. III. Num. III.  
porea imaginatio genuinum esse spe-  
culum nequit.

Proin simplici intellectus assensu  
credamus, quod reipsa est, quodque  
verum esse nos fides docet; nempe  
æternam Mentem illam nobis intimè  
præsentem adesse: undequaque nos il-  
la plenos ab eadem circumcingi, &  
ambiri: pervadi, & penetrari secun-  
dum illud Apostoli effarum: *in illo  
vivimus, movemur, & sumus.* (ss)  
Qua in re nihil opus est fingere, aut  
violenta consideratione sibi imaginari;  
sed solùm simplicissimo actu attendere  
oportet ad id, quod in nobis esse, &  
agi tum ratio, tum fides demonstrant;  
idque eadem prorsus facilitate, qua  
quis amicum sibi adstare credit, quem  
de nocte in tenebris sibi loquentem  
audit.

2. Verum hic gradum minimè fi-  
gamus, oportet. Nam exercitium hoc  
præsentiae divinæ non solùm est pos-  
tum in actu intellectus, quo omnium  
Condi-

Conditorem in nobis existentem credamus; sed insuper & præcipue consistit in actu voluntatis, quo eum in nobis habitantem amemus, nosque eidem intimè uniamus. Nam etiam dæmones infinitam immenfitatem ubique dominantem credunt, & contremiscunt; (tt) quia verò non diligunt, hujus exercitationis fructum non percipiunt.

Proin opus præterea est, ut, quem regum Regem intellectus præsentem credit, voluntas etiam amet, per breves quidem, ardentes tamen, & raptim ejaculatas aspirationes eundem interdiu quam frequentissimè amplectendo; exempli gratia dicendo: *Dilectus meus mihi, & ego illi! Quid mibi est in cælo, & à te quid volui super terram? Domine! quid me vis facere? Non mea, sed tua voluntas fiat;* vel aliis his similibus, animæ statui respondentibus, aut triplici viæ spiritualis vitæ accommodatis affectibus utendo.

Sancta

---

(tt) Jac, 2, v. 19.

Sancta ejusmodi suspiria jure comparantur cum illo *crine collis*, in quo cœlestis Sponsi *cor vulneratum* fuisse legitur. (uu) Ignita enim sunt jacula & missiles sagittæ, quæ ferventi conatu evibratæ, terrenas nubes perrumpendo ad ipsum Divinitatis thronum penetrant, ac Misericordiæ viscera optato vulnere sauciant. Per hos actus perennem illam consequemur orationem, quam in Evangelio Servator noster à sequacibus exigit his verbis: *oportet semper orare, & non deficere.* (xx) Perpetua enim hæc, & desideriis æstuans Numinis recordatio, optima, quia cor immutans, oratio est.

Præterea si emissitiis his precibus diligenter utamur, *nostra conversatio in cælis erit*: (yy) *erimus cives Sanctorum & domestici DEI*: (zz) annumerabimur illi Electorum turmæ, qui semper vident faciem ejus, & qui portant nomen ejus in frontibus suis; (aaa) per quod

---

(uu) Cant. 4. v. 9. (xx) Luc. 18. v. 1.  
(yy) Phil. 3. v. 20. (zz) Eph. 2. v. 20. (aaa)  
Apoc. 22. v. 4.

quod Interpretes perpetuam quandam  
Divinitatis memoriam, & jugem ejus  
præsentiam denotari autumant.

Porro horum affectuum paradigma-  
ta in libris passim expressa, & à me  
quoque collecta, alibi reperies; (bbb)  
in quorum tamen usu sequentia erunt  
observanda. 1. Missiles hi actus sint  
breves, & partus non tam ingenii,  
quam cordis: non tam studii, quam  
fervoris. Optimæ, & efficacissimæ  
solent esse aspirationes illæ, quas ani-  
mus, supernè motus, per se ipse  
concipit; etsi fortè verbis non tam  
compositis, aut minùs ordinatis pro-  
ferantur.

2. Eæ tamen non sint nimis multæ  
& diversæ; ne mentem aut obruant,  
aut distrahant. Sæpe una vel altera,  
magno tamen cum ardore ac sæpius  
repetita sufficiet, ut quis votorum at-  
tingat metam. Hinc plurimùm pro-  
derit, si materiae examinis particula-

*Pars II.*

N

ris,

---

(bbb) In lib. cui titulus: Christianus piè mo-  
riens vol. 2. adium. 14.

ris, vel concepto in meditatione proposito aptentur.

3. Dirigantur ad DEUM, non tanquam in cœli throno residentem, sed ut circum nos & intra animi penetralia commorantem. Qui per continuum hoc exercitium in divina præsentia ambulare studuerit, is brevi tempore perfectus erit. Hæc enim exercitatio sobrietatem & prudentiam docet & justitiam & virtutem, quibus nihil utilius est in vita hominibus. (ccc)

*Itaque considera semitas domus tua,*  
 (ddd) & vide, an hæc observes? Expende sedulò, qua posthac solertia in praxin ea deducere velis. Ne verò quid remissius agas, tecum exputa, eorum consuetudinem ad acquirendam virtutem solidam adjumentum non solum summè proficuum, sed omnino necessarium esse; nam (ut scribit Beatus Laurentius Justinianus) *viro ad perfectionem currenti jugis debet esse*

*esse DEI visio ac familiaris ejus allocutio.* (eee)

Hæc tria obtainendæ collectionis subsidia qui rite adhibuerit, votorum brevi compos fiet. Nam cura silentii per custodiam cubiculi amovebit obstacula ejus externa : fuga occupationum nimis dissipantium arcebit impedimenta illius interna : exercitium vero præsentia DEI animam in sublime elatam, cœlesti Sponso amoris vinculo intimè conjungeret, eamque optato internæ solitudinis bono abunde ditabit.

---

(eee) Lib. 2. de compunct. & Christi, perfect.

